

ci quod jufferas: totumque contextum narrationis,
a primo navigationum exordio, ad usque Soceri
Tui Joannis eo nomine tertii Regis obitum, pro
mea tenuitate perduxi. Quo longius ne progre-
derer, annalium exinde series, ut in tantis & re-
rum motibus & locorum intervallis, partim inter-
cisa partim etiam neglecta, prohibuit. Neque
vero mihi diutius deliberandum fuit, cuinam opus
hoc qualecunque, recepta jam consuetudine, de-
stinarem. Debebat hoc Tuis erga se meritis nostra
Societas univ[er]sa. Idipsum nominatim a me Tua
de me judicia meaque summa in te pietas exigebant.
Postremo res loquebatur ipsa, æquum esse, ut
cujus in primis virtute opibusque Christiana res ni-
titur, huic potissimum, explorati piis felicibusque
majorum suorum armis Oceani; aditarum, quæ
auditæ non erant, gentium; propagatæ una cum
imperio in ultima loca rectæ in Deum fidei; si mi-
nus facunda splendidave; certe, quoad ejus fieri
potuit, sincera atque accurata explicatio dicaretur.
Quæ me, Rex Optime & Maxime, perpulerunt
causæ, uti præ cæteris offerre tibi mearum lucu-
brationum lætus auderem; eadem, opinor,
Clementiam istam fastigio tam excelso parem ad-
ducent, ut eos in lucem sub Augusti nominis Tui
præsidio tutelaque prodiisse patiare. Quod reli-
quum est, Majestatem Tuam Deus immortalis ad
sui nominis gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ
firmamentum quam diutissime tueatur
incolumem.

JO-